Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



exaltabo te et confitebor nomini tuo quia fecisti mirabilia consilia tua
antiqua fidelia amen Quia posuisti civitatem in tumulum urbem
fortem in ruinam domum alienorum ut non sit civitas et in perpetuum non
edificetur Propter hoc laudabit te populus fortis Civitas gentium
robustarum timebit te Quia factus es fortitudo pauperi fortitudo
egeno in tribulatione sua spes a turbine vimbraculum ab estu Spiritus
enim robustorum quasi turbo impellens parietem Sicut estus in sita
tumulati alienorum humiliabis et quasi calore sub nube roborabitur
palmes fortium marescet facies Et faciet dominus exercituum omnibus
populis in monte hoc convivium pinguium convivium vindemie pinguium
medullatorum vindemie defecate Et parabit in monte isto faciem
vmaculi collligati super omnes populos et telam quam ordiretur super omnes
nationes parabit morti in perpetuum Et auferet dominus deus
lacrimam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de universa terra
quia dominus locutus est Et dicetur in illa die Ecce deus noster iste expectavimus
eum et salvabit nos Iste dominus sustinuimus eum exultabimus et letabimur
in salutari eius quia requiescet manus domini in monte isto et conterentur
moab sub eo sicut teritur palea in plaustro et expandet manus suas
sub eo sicut expandit natans ad natandum et humiliabit gloriam eius
cum allisione manuum eius Et munimenta sublimium murorum tuorum
concidet et humiliabunt et deiicient in terram usque ad pulverem Et 26

In illa die cantabitur canticum istud in terra iuda
Urbs fortitudinis nostre salvator ponet in ea murum et antemu
rale aperite portas et ingredietur gens iusta custodiens veritatem
Vetus error abiit Seruabis pacem pacem quia in te speravimus Spe
rate in domino in sculis eternis in domino deo forti in perpetuum quia incurvabit
habitantes in excelso Civitatem sublimem humiliabit humiliabit eam usque
ad terram deiicietur eam usque ad pulverem Conculcabit eam pes pau
perum gressus egenorum Semita iusti recta est rectus callis iusti
ad ambulandum et in semita iudiciorum tuorum domine sustinuimus te
nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime Anima mea desiderabit te
in nocte sed et spiritu meo in precordiis meis de mane vigilabo
ad te cum fieri iudicia tua in terra instituta discent qui habitatores orbis
Miseretur impio et non discet fieri iustitiam In terra sanctorum